



Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis S. Th. quondam
Louanij Professoris Tractatvs De Sigillo Confessionis
Sacramentalis**

Malderen, Jan van

Antverpiæ

Capvt XVIII. Quid de illis dicendum quæ alios concernunt, & peccata non sunt, sed secreta; ánne etiam ipsa sub Sigillum cadere censenda sint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41093

CAPVT XVIII.

*Quid de illis dicendum quæ alios concer-
nunt, et peccata non sunt, sed secr-
ta; ànne etiam ipsa sub Sigillum cade-
re censenda sint.*

*Quæ pecca-
ta nō sunt,
et alios
concernūt,
quomodo
celanda à
Confessario.*

Si confitens, occasione suorum peccato-
rum, utpote tamquam circumstantias
aut obiecta, aut quia pro sua ruditate, cum
non pertineant, putat ea pertinere ad expli-
cationem suorum peccatorum, aliqua talia
secreta narret, existimant Doctores, talia et
iam comprehendendi Sigillo: si verò concomi-
tanter solum in Confessione narrentur, te-
netur Confessarius solum Secreto naturali;
nisi forte propter scandalum, quando puta-
rentur ad Confessionem pertinere, etiam
aliquid admisceatur obligationis ipsius Si-
gilli. Consuli potest Suarez disp. 33. sect. 3.

Responsio continet tres partes. Primam
probo, quia circumstantias comprehendendi Si-
gillo, est communis sententia. Quod exten-
dendum est ad alia quæcumque quæ à po-
nitente dicuntur ad declarandum peccatum
suum: sic enim demum securè etiam sim-
plices peccata sua narrant.

Secunda pars probatur, quia illa non per-
tinent ad Confessionem, cum sine illis om-
nino

nino consistat integrā , & hoc ipsum sciāt pōnitens ; qui etiam iis non vtitur ad expli- candum sua peccata , at fortē ex leuitate ibi narrat , quo casu à Confessario reprehendi deberet , aut consilium aliquod cir- ca illa petit , aut solamen , si ipsum affligant . Sufficit ergo seruare illa secreta naturali obligatione .

Tertia pars , quæ casum scandali excipit , est certissima ; quia , vt diximus suprà , hoc cederet in grauamen & odium Confessionis si reuelarentur : quod etiam benè obseruat Antoninus 3.p.t.17.c.19. §.12.

Quare in casu scandali , ne quidem pro- posito edicto de excommunicatione non reuelantis per Episcopum , videretur talia debere reuelare , quamvis quidam tunc pu- tet debere reuelare .

Ex dictis colligo , malè fecisse Confessa- riū , de quo Bañes 2.2. q.33. art. 8. qui ex relatione quarundam facta in Confessione , catalogo facto mulierum lue venerea infē- starum , Magistratui suggestit remedium esse adhibendum , ne per eiusmodi mulie- res viri inficiantur : magno enim odio Con- fessionis istud sit , quando fortē isti catalo- go inscriptæ falsò aliquæ deprehenduntur .

Hoc denique obseruo , eos qui secretò ac- cepta in Confessione scientia tantum ad li- citos

188 IO. MALDERI TRACTATVS
citos fines & licitò modo uti volunt (secun-
dum restrictiones positas suprà Cap. XIV.)
non facile circa hanc materiam lapsuos:
intentio enim proba facile eos continebit,
ne peccent damnabili curiositate inquiren-
do & molestando confitentem super iis re-
bus quæ ad Confessionem legitimam ne-
cessaria non sunt. Qui enim peccant cu-
riosè parerga ista inquirendo, ferè etiam
solent sic comparata scientia abuti.

C A P V T X I X.

*An rectè faciant Confessarij curiosius ta-
lia in Confessione inquirendo quæ ad
peccata pœnitentis non pertinent, ne-
que sub Sigillum cadunt, & an Pam-
tentest teneantur de illis respondere.*

*Curiositas
Confessa-
riorum re-
prehendi-
tur.*

C E R T V M est, tales Confessarios pecca-
re profanatione quadam Sacra menta,
& quia reddunt Sacramentum odiosum, re-
trahuntur enim homines offensi tali sacrile-
ga curiositate à necessario isto remedio, &
solent multum scandalizari. Ad hæc, etiam
pœnitentes ipsi forte non scandalizentur,
alij tamen qui ita agi intelligunt, offendun-
tur: ideoque dicendum est, ne illis cooperen-
tur, non tantum posse, sed etiam teneri pa-
nitentes

